

docet, ita dicens: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Ecce juxta Paulum nullus accipiet, nisi secundum proportionem eorum quæ gessit in corpore: ergo postquam animæ sunt exiit corporibus, nihil amplius mereri poterunt. Ut autem clarus Pauli sententia in hoc loco appareat, operæpretium erit videre qualiter Erasmus Roterodamus hunc locum transiit. Sic enim ejus translatio habet: *Omnes enim nos manifestari oportet coram tribunal Christi, ut reportet unusquisque ea quæ sunt per corpus, juxta id quod fecit, sive bonum, sive malum.* Quæ verba ut sunt propinquiora veritati Græci sermonis, ita etiam clariora & apertius explicat Pauli sententiam, & fidem Catholicam, qua creditur post mortem non esse tempus merendi, aut demerendi. Et in epistola ad Galatas (cap. 6.) idem Apostolus ait: *Bonum autem facientes non desiciamus.* Tempore enim suo metemus non deficientes: ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Quem locum exponens Theophylactus, ait: *Quemadmodum non semper ferendi tempus, ita nec metendi occasio semper offertur.* Quod sane & virginum illarum, & Lazari exemplo profertur. Quamdiu autem nobis in hac vita suppetit ætas, non solum in præceptores, sed in gentiles ipsos & Judæos quæ bona sunt operemur, hoc est, beneficentia utamur & elemosyna. Hæc Theophylactus. Ex cujus verbis patet, tempus illud quod habemus ad bene operandum, esse tempus hujus vitæ, & non tempus post mortem, quoniam à mortuo velut qui non est, perit confessio. Contra hunc errorem scribit Joannes Rossensis Episcopus, articulo tricesimo septimo, in eo opere, quod fecit pro assertionem damnationis quorundam articulorum Lutheri, factæ à Leone decimo. Scribit etiam Jacobus Latomus in eo opere, quod addidit pro assertionem sententiæ Lovanienfis adversus Lutherum. Alios autem, si qui sunt, non vidi.

Tertia hæresis etiam est à Luthero inventa, & ex præcedenti deducta. Ex hoc enim errore, quo docet animas in purgatorio posse mereri & demereri, colligitur eas non esse de sua salute securas: & ita corruptam & putridam aquam, ex vitio fonte deducit. Quapropter profertur hæresis præcedenti, quæ est hujus fundamentum, hæc nullo pacto stare poterit, quin statim corruat. Nam si animæ quæ purgantur, nec mereri, nec demereri possunt, & hoc eas non latet, convincitur eas esse de sua salute securas. Nulla est anima quæ purgetur, nisi quæ in Christo fundata est. Et quia super hoc fundamentum superædificavit lignum, stenum, & stipulam, id est, leviam quædam & venialia peccata, ideo detrimentum patitur, ut juxta Pauli sententiam, (1. Cor. 3.) salva fiat, sic tamen quasi per ignem. Si anima quæ purgatur, charitatem habet, & illam jam (ut in præcedenti hæresi ostendimus) amittere non potest: ergo securas est de sua salute. Charitas enim pignus quoddam est spiritus, & atram quædam foelicitatis æternæ, per quam spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Quod si filii, & hæresis, hæresis quidem Dei, coheredes autem Christi. (Rom. 8.) Ex quibus manifeste patet omnem animam quæ purgatur, cum jam sciat se esse in charitate, esse certam & securam de sua salute. Præterea, credendum est omnes animas antequam in purgatorium conjiciantur, prius de factis & dictis examinari, & earum examine facta, mitti ad purgatorium. Alioquin esset ordo præposterus si prius penas luarent, & postea producerentur ad examen, ut

de illis sententia feratur. Oportet ergo, ut primum examinati rationem reddant, & sua merita & demerita plene agnoscant, & postea dicatur illis sententia. Ex quo iudicii ordine convincitur, ut animæ omnes quæ ad purgatorium mittuntur, certæ sint & securæ de sua salute: quoniam agnoscent ex sententia in se dicta, quod mox ut purgata fuerint, in celestem gloriam admittentur. Rursum, percontari oportet Lutherum, an ipse certo credat animas quæ purgantur, esse jam extra periculum, an non. Si non credit eas esse extra periculum: ergo purgatorium juxta eum erit, etiam sicut vita præfens tentatio quædam, & militia, & stadium in quo qui currit, aut certat, incertus est de victoria. At ex sententia Job, (cap. 7.) constat militiam, aut tentationem esse vitam hominis super terram. Quod si etiam vita hominis subus terram esset militia, frustra addit, cum de vita hominis diceret, super terram. Si vero Lutherus certo credit animas quæ purgantur, esse extra periculum, qualiter ipsam animam quæ purgatur, hoc ignorat? Numquid per mortem obliata est eorum quæ ante sciebat? Si nos sumus certi animas in purgatorio existentes esse jam in tuto: multo magis ipsam animam erunt certæ de sua salute, cum in illis sic eadem fides, spes & charitas, & in illis etiam corpus corruptibile non aggravet animam, nec intellectus earum mendicet à visibilibus notitiam invisibilium, sed seipsas nudas clare intueantur. Verum hic forte aliquis possit objicere nobis illud, quod Ecclesia canit in precibus, quas pro defunctis effundit coram Deo: *A porta inferi erue Domine animas eorum.* Et illud: *Domine Jesu rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de penis inferni, & de profundis lacu: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, &c.* Si animæ essent de sua salute securæ, superavancem esset orare pro illis, ut evanant ab inferis, ad quos etiam si pro illis Ecclesia non oraret, jam descendere non possunt. Respondeamus juxta Bedæ sententiam, purgatorii locum esse maxime vicinum inferno, & propter hanc vicinitatem, & propter maximam convenientiam, & similitudinem peccatorum utriusque loci, purgatorii locum aliquando vocari nomine inferni. Hoc autem ex eo conjici potest, quod locus ille, in quo erant sancti patres ante Christi mortem, qui locus in Evangelio dicitur sinus Abraham, sæpenumero vocatur nomine inferni, & nomine lacus: cum tamen in illo loco mitius fuerint animæ tractatæ, quam in purgatorio. Propheta Regius ait: (Psal. 48.) *Deus redimet animam meam de manu inferi.* Et iterum: (Psal. 85.) *Eruiisti animam meam ex inferno inferiori.* Et certum est Prophetam non descendisse ad illum locum peccatorum in quo sunt damnati. Et Prophetæ Zacharias, (cap. 6.) ait: *Tu in sanguine testamenti tui eduisti viuos, qui erant in lacu, in quo non est aqua.* Quibus verbis designans liberationem animarum per Christum factam, appellavit locum in quo animæ sanctorum erant, lacum in quo non est aqua. Multo ergo melius poterit appellari locus purgatorii, in quo acerbissimas animæ tolerant penas, infernus & lacus. Et ut ab hoc loco & à penis ejus animæ liberentur, orat Ecclesia.

Possimus aliter, & forte melius respondere, dicentes non semper dubitari de illis quæ petuntur, an ita futura sint, ut petuntur. Nam sæpius petuntur illa, quæ certo sciuntur eventura, ut petuntur: & hujus rei plurima sunt testimonia. Ecclesiasticus siquidem Deum orans, (cap. 36.) sic ait: *Da mercedem sustinentibus te, ut Propheta tui fideles inveniantur.* Nullus tamen sanæ mentis di-

dicit Ecclesiasticum dubitasse de fidelitate prophetarum Dei, aut dubitasse, quod Deus daturus esset mercedem his qui sustinent illum, quod tamen ille petit. Paulus certus erat se non separandum à charitate Dei: certus etiam erat coronam justitiæ à justo giudice Deo paratam sibi esse: orabat tamen Deum, ut illum assequi mereretur. Et si cui prædestinatio sua fuisset nota, orare nihilominus deberet Deum pro suæ prædestinationis implementatione: ut (juxta Petri Apostoli sententiam (2. 3.) per bona opera certam faceret suam vocationem. Sic etiam Ecclesia quamvis certo sciat animas existentes in purgatorio, non fore ad inferos damnandas, pro illarum tamen liberatione orare non desinit.

Adversus hunc errorem scribit Joannes Rossensis Episcopus eodem loco, quo adversus præfatam hæresim secundam.

Quartam hæresim etiam Lutherus invenit, quæ docet animas sine intermissione peccare in purgatorio, quamdiu quaerunt requiem, & horrent penas, quia quaerunt (ut dicit) quæ sua sunt, contra voluntatem Dei. Et certe si res ita se haberet, ut Lutherus docet, nihil aliud esset animas purgare, quam laterem lavare, aut litus arare. Nam si animæ quæ purgantur, sine intermissione peccant, quamdiu horrent penas: cum omni tempore horreant penas, quia horror peccatorum potuit: non est ergo peccatum penas, aut molestias horrere, præsertim cum id non ex deliberatione, sed ex quodam naturali horrore fit.

FINIS LIBRI DUODECIMI.

F. ALFONSI DE CASTRO
ZAMOREN. MINORITÆ.
ADVERSUS HÆRESES.
LIBER DECIMUS TERTIUS.
REGNUM DEI.



Hæc re fuit quidam error Cerinthi, dicentis regnum Christi futurum terrenum post resurrectionem, & in regno illo futuras esse carnis delicias: quod regnum dicebat duraturum in hac vita per mille annos. Verum de hoc errore jam supra disputavimus, libro tertio, in titulo de beatitudine, hæresi secunda. Et si quæ sunt aliæ hæreses, quæ ad hanc materiam spectent, sub illo titulo sunt à nobis collocatæ.

RELIQUIÆ SANCTORUM.

Viclephitæ, qui ad hoc nati esse videntur, ut omnem ritum Ecclesiasticum tollerent, omnes ceremonias ab Ecclesia abigerent, inter alias suas blasphemias hanc unam docent, reliquias videlicet Sanctorum, hoc est carnes & ossa hominis mortui, non debere à populo venerari, neque à monumento foetido extrahi, nec in

Et cum illorum peccatorum purgationem etiam horrebant penas, sequitur quod tunc etiam peccabant, & quod opus erit etiam eis, ut ab illis peccatis iterum purgentur. Et ita esset eundem in immensum sine fine. Præterea, supra in expugnatione hæresis secundæ de purgatio, ostendimus ex sacris litteris neminem post mortem posse, aut mereri, aut peccare, peccato quidem quod sit illi impurandum: ergo animæ quæ purgantur, quamvis horreant penas, non tamen peccant. Rursum, etiam si animæ in purgatorio peccare possent, per hoc tamen, quod quaerunt requiem, & horrent penas, non peccarent. Nam David non peccavit, cum dixit: (Psal. 41.) *Sicut anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.* Paulus etiam vas electionis, ait: (Philip. 2.) *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Si hi non peccaverant optantes requiem, cur animæ in purgatorio peccabant, cum suam requiem optaverint? Et de horrore peccatorum constat non esse peccatum, cum hic non proveniat ex deliberatione, sed ex natura, cum omnibus sit à natura insitum peccatis horrere. Christus enim propinquus passioni (ait Marcus cap. 14.) *cepit pavore & tedere, & dixit tribus discipulis, quos secum ad orationem sequestraverat: Tristis est anima mea usque ad mortem.* At Christus, neque peccavit unquam, neque peccatum cogitare potuit: non est ergo peccatum penas, aut molestias horrere, præsertim cum id non ex deliberatione, sed ex quodam naturali horrore fit.

capla aurea, vel argentea reponi: quia sic facientes (ut illi ajunt) non honorant Deum, & Sanctos ejus, sed idolatriam committunt. Hos Viclephitas sequuti sunt impii Lollardi, quorum unus vocatus Guilielmus Albus, patria Anglicus, publice & in judicio tribunali in Anglia hæc omnia non erubuit fateri. Sed non sunt hi primi hujus hæresis inventores. Nam ante hos fere per 90. annos fuit Vigilantius quidam Gallus Barcinonen. Ecclesiæ Presbyter, qui (ut infra dicemus) dixit Sanctos non esse orandos. Et quo magis Sanctis, in quorum sortem ipse computandus non erat, detraheret, docuit Sanctorum corpora non esse veneranda. Sed neque hic Vigilantius primus extitit hæresis auctor, quoniam ante illum fuit Eunomius: non tamen longo tempore illum præcessit. De Eunomio autem Hieronymus testatur illum hac peste fuisse infectum. Nam in libello quem adversus Vigilantium scripsit, hæc illi ait: *Rides de reliquiis martyrum, & cum auctore hujus hæreseos Eunomio Ecclesi-*

SSM Christ.

ti, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi. Hæc Augustinus. In quibus verbis præter intentum obiter annotare decrevi, quod ait corpus Christi esse sacrificium quod à Sacerdote in altari Deo offertur. Quod testimonium aperte pugnat contra Lutherum & Oecolampadium. Nam Oecolampadius (ut in titulo de Eucharistia indicavimus) negat in eo sacrificio verum corpus Christi contineri, sed solum materiale panem. Lutherus autem est fatetur verum corpus Christi Salvatoris illic adesse, negat tamen à Sacerdote offerri: propter quod dicit Missam non esse sacrificium. Sed adversus hanc hæresim jam supra in titulo de Missa abunde me dixisse arbitror. Verum quoniam non erat prætereundum quod nunc Augustinus dixit, obiter annotare decrevi. Hunc igitur intermittere sermonem, eo unde digressa est, orationem reveremus, & exultemus quod tam facile & luculenter ad veriorum calumniam beatus Augustinus rejecerit. Sed quia nimis leniter & pro suo ingenio mansuetissime respondit, & hi contra quos agimus, quemadmodum Phryges (ut est in Proverbio) non nisi plagis emendantur, beatum Hieronymum, qui durius & acerbior pugnare solet, objicio: ut illos pro suis meritis tractet. Is enim beatus Pater adversus Vigilantium, qui hujus erroris etiam exitit auctor, scribens, ita ait: „ Quis enim ò insanum „ caput, aliquando Martyres adoravit? Quis hominem „ putavit Deum? Nonne Paulus & Barnabas (Act. 14.) „ cum à Liconibus Jupiter & Mercurius putarentur, „ & eis vellent hostias immolare, sciderunt vestimenta „ sua, & se homines esse dixerunt? Non quod meliores „ non essent olim mortuis hominibus Jove & Mercurio, „ sed quod sub genilitatis errore honor eis, Deo debitus, „ deferretur. Quod & de Petro legimus, (Act. 10.) qui „ Cornelium se adorare cupientem manu sublevavit & „ dixit: Surge, nam & ego homo sum. Et audes dicere, „ illud nescio quid, quod in modico vase transferendo col- „ lis? Quid est illud nescio quid, scire desidero. Expone „ manifestius, ut tota libertate blasphemus: Pulvisculum „ nescio quod in modico vasculo pretioso linteamine cir- „ cundatum. Dolet Martyrum reliquias pretioso operiri „ velamine, & non vel pannis vel cilicio colligari, vel „ projici in sterquilinum, ut solus Vigilantium ebrius & „ dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apo- „ stolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator qui sanctas reliquias Andreae, Lucæ, „ & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæ- „ mones rugiunt, & inhabitatores Vigilantium illorum se „ sentire præsentiam consentur? Sacrilegus dicendus & „ & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis „ longo post tempore de Judæa transtulit in Traciam? „ Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui judi- „ candi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos in feri- „ co & vase aureo portaverunt? Stulti omnium Ecclesia- „ rum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis, & tanta „ lætitia quasi præsentem viventemque Prophetam cer- „ nerent, susceperunt, ut de Palestina usque ad Chalce- „ donem jungerentur populorum examina, & in Christi „ laudem una voce resonarent? Hæc Hieronymus: qui non contentus est Vigilantium calumnias refellere, nisi illum confoderet, & pro suo merito tractaret. Sed ut nullus controversæ pateat locus, Concilii generalis definitionem in medium proferam. Concilium namque Lateranense sub Innocentio 3. celebratum: hanc quæ sequitur tulit definitionem. Cum ex eo quod quidam Sanctorum reliquias exponunt venales, & eas passim ostentant, Chris-

tianæ religioni detractum sit sæpius, ne in posterum detrahatur, præsentis statim de creto, ut antiquæ reliquie amodo extra causam nullatenus ostendantur, nec exponantur venales, inventas autem de novo, nemo venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Prælati vero non permittant eos qui ad eorum Ecclesiam causa venerationis accedunt, variis figmentis aut falsis documentis decipi, sicut in plerisque locis occasione quæstus fieri consuevit. Hæc Concilium Lateranense. Quæ verba habentur in volumine decretalium epistoliarum titulo De reliquiis & veneratione Sanctorum. In quibus verbis sicut sapienter cavet ne novæ reliquie facilius honorantur sine Romani Pontificis licentia: ita contra concedit eas quæ jam exploratæ virtutis sunt, honorari. Et de hac re abunde me dixisse censeo, pro ea brevitate quam statui servare. Scripsit adversus hanc hæresim Hieronymus libellum contra Vigilantium, quo loco testatur ipse, Tertullianum scripsisse insigne volumen quod vocavit Scorpiacum adversus hanc hæresim, quæ olim contra Ecclesiam erupit, & refert illam olim vocatam fuisse Cainam hæresim. Unde constat Eunomium etiam non fuisse hujus hæresis inventorem, sed longo tempore illum præcessisse, quæ multo tempore dormiens, postea ab Eunomio, dein à Vigilantium, demum à Joanne Vvicleph suscitata est. Scripsit etiam adversus hanc hæresim Thomas Vvalden, in opere illo insigni quod fecit De Sacramentalibus.

RESTITUTIO.

EST quedam hæresis, asserens non esse necessariam rei furto sublata restitutionem, ut quis vitam possit assequi æternam. Hanc hæresim inter alios Græcorum errores recenset Guido Carmelia, qui ait quod Græcorum Sacerdotes, pro furtis, usura, rapina manifesta, non injungunt ut satisfaciant aut reddant, sed oleo simplici inungunt raptorem, quem asstringunt ut aliquam pecunie portionem illis distribuat, ut absolutionem illi impendant: quam pecuniam à fure aut raptore recipientes, ipsum raptorem absolvunt. Erasmus Roterodamus de hac re non parvam præbuit ansam suspicionis, Nam in annotationibus super novum testamentum, innuit restitutionem rapinæ non esse faciendam, sed satis esse eleemosynam facere, ut furti & rapinæ peccatum deleatur. Et ne quis verbis meis fidem derogat, putans me hoc falso tribuere Erasmo, verba illius quæ in quarta hujus operis ædizione habentur, referam. Is enim Erasmus in annotationibus super 1. cap. Lucæ, pertractans illud Salvatoris dictum: Quod superest, date eleemosynam: post multa denique hæc dicit: Illud annotandum, cum modo fecerit mentionem rapinæ in remedio non fieri mentionem restitutionis: tantum pollicetur eleemosyna data omnia fore munda. Hæc Erasmus. Quid hæc verba doceant, lector prudens & candidus facile intelliget. Verum hanc suspensionem in quinta ejusdem operis ædizione Erasmus amovit, quoniam post verba illa quæ proxime citavimus, hæc quæ sequuntur, addidit. Sed qui jubetur dare iis quibus nihil debet, multo magis jubetur reddere si quid cui debet. Quæ verba omnem profus rotund de restitutione non faciendâ suspensionem. De hac tamen re admonere volui lectorem, ne si forte in tertiam aut quartam operis illius ædizione incidit, verba Erasmi quæ illic habentur legens, illius auctoritate fretus in hunc forte labatur errorem. Nam in verbis illis quæ in quarta ædizione habentur, magnam erroris præbuerat

occa-

occasionem, propter quod huic malo mederi voluit. Uinam hanc mentem in cæteris suis erroribus habuisset. Sed jam ad Græcorum errorem accedamus, & ostendamus, quam aliena sit à fide Catholica hæc sententia. Primo hæc sententia pugnat aperte cum lege naturæ, quæ ait: Ne feceris alicui, quod tibi oderis fieri. Et rursum: (Mat. 22.) Diliges proximum tuum sicut teipsum. At rursus est qui non odiat se re sua spoliari. Et quisque iuste optatæ potest, ut quod sibi furto sublatum est, restituatur: hoc igitur alteri quem vis spoliavit, viceversa reddere tenetur. Præterea Paulus Apostolus hoc præcepit, sic inquit: (Rom. 8.) Omnibus reddite debitum, cui tributum, tributum: cui vœtigal, vœtigal: cui honorem, honorem: cui timorem, timorem. Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. In quibus verbis postquam omnibus debita reddenda præcepit, ne forte solo præcepto parum dixisse videretur, prohibitionem, quæ fortius & perpetuum est vinculum, subjunxit, dicens: Nemini quicquam debeatis. Deinde, Sanctus ille Tobias cum vocem balantis hædi, quem uxor illius domum detulerat, audivit, dixit: (cap. 2.) Videte ne forte furivus sit, reddite eum Dominis suis: quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, ut contingere. Rursum, Deus ipse ab illo, qui veram agit penitentiam, exigit ut rapinam restituat, si suorum peccatorum remissionem impetrare optat, sic inquit: (Ezec. 33.) Si dixerit impius, mortuus morieris: & egerit penitentiam à peccato suo, feceritque judicium & justitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quicquam injustum, vita vivet, & non morietur. Omnia peccata ejus quæ peccavit, non imputabuntur ei. Nihil hoc testimonio apertius dici potuit. Nam hæc lege & conditione promittit Deus se penitentii peccata donaturum, si rapinam reddiderit. Quo fit, ut conditione sublata, hoc est non reddita rapina, Deus peccata non dimittat. Unde beatus Augustinus in epistola ad Macedonium ait: Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur, penitentia non admittitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Hæc Augustinus. Quæ verba habentur in volumine De-cretorum 14. q. 6. Vereantur ergo Sacerdotes Græcorum, fures & raptores à rapina absolvere, quos Deus sine restitutione absolvere non vult. De his enim Sacerdotibus Hieremias Propheta mihi dixisse videtur, cum ait: (cap. 6.) Curabant contritionem filie populi mei cum ignominia, dicentes pax, pax: & non erat pax. Cum ignominia contritionem filie populi curat, qui peccanti & non legitime penitenti facile absolutionem impendit. Neque opus est, ut adversus tam pestiferum errorem amplius immoremur.

RESURRECTIO.

MULTI ex vetustis hæreticis negaverunt carnis resurrectionem esse futuram. Quæ hæresis apud Judæos fuit primum orta. Nam Saducei (ut patet ex Evangelio Matth. cap. 22.) negabant carnis resurrectionem. Ex illis autem qui semel Christum per baptismum induerunt, primus qui hanc hæresim suscitavit, fuit Simon ille Magus, de quo in Actibus Apostolorum fit mentio. Hoc enim illi impingit Augustinus, quamvis Tertullianus in libro de hæresibus de hoc Simone faciens sermonem, nihil tale illi tribuit. Basilidem tamen dicit in hunc errorem fuisse lapsum, cui similem errorem non tribuit Augusti-

Tom. I.

nus. Hymenæus & Philetus, teste Apostolo Paulo, dixerunt resurrectionem jam esse factam, nec amplius futuram. Carpocratite etiam (ut Augustinus ait) negarunt carnis resurrectionem. Valentinus, & Apelles, juxta Augustinum & Tertullianum, hoc idem senserunt. Marcioni & Ophitii hoc idem tribuit Tertullianus, sed non Augustinus. Marco & Cerdoni, & Cajanis, & Severianis, & Archonticis, & Hierarchiis eundem errorem impingit Augustinus, non autem Tertullianus. Seleucianis, & Proclantatis objicit hunc errorem Philaster Brixianensis Episcopus, quem etiam in hac parte sequitur Augustinus. Frater Bernardus de Lutsemburgo in suo cathologo hæreticorum refert Almaricum, Albigenes, Albanenses hunc errorem fuisse tutatos. De Origine refert Augustinus, ex Ephiphani sententia illum negasse carnis resurrectionem. Verum Theophilus Alexandrinus Episcopus (qui mox infra dicemus) alium errorem impingit Origeni, cum hoc velut ex diametro pugnat; quoniam ex eo convincitur Origenem, concessisse carnis resurrectionem. Utri autem istorum sit in hac parte credendum, videlicet Ephiphano, an Theophilo, ego non video. Mea quidem sententia neutri eorum credetur, quoniam aut utriusque eorum credendum est, aut neutri. Non est autem possibile, ut utriusque credatur, cum eorum testimonia adversus Origenem, non sint convenientia, sed inter se pugnantia: est ergo necessarium, ut nulli credatur, præsertim cum constet ex libro 10. historiae tripartitæ Cæsiodori, utrumque, videlicet Ephiphanium & Theophylum fuisse Origenis nomini infestum. Adversus hanc hæresim non est operosum disputare, cum tam aperta & tam clara sint scripturæ sacræ testimonia, quibus illa revinci potest, præsertim quod non adversus Ethnicos Philosophos nunc arma sumimus, sed adversus eos qui se Christianos jactant, quos oportet scripturæ sacræ testimoniis credere. Saduceos enim negantes resurrectionem Salvator noster testimonio scripturæ sacræ convincit, dicens: (Matth. 22.) Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in celo. De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo dicente vobis: (Exod. 13.) Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob. Deus non est mortuorum, sed viventium. Et Paulus Apostolus in priore epistola ad Corinthios, (cap. 15.) redarguens eos qui carnis resurrectionem negant, sic ait: Si autem Christus prædicatur, quod resurrexerit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis & fides vestra. Invenimur autem & falsi testes, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra. Et in posteriore epistola ad Thimotheum (cap. 2.) dicit Hymenæum & Philetum à veritate excidisse, dicentes resurrectionem jam factam, & subvertisse quorundam fidem. In symbolo Apostolorum docetur carnis resurrectio. Baudem docet symbolum fidei æditum in Concilio Constantinopolitano. Piger plura citare testimonia pro re tam manifesta. Si quis autem plura de hac re nosse cupit, legat quemdam libellum beati Ambrosii in modum orationis, qui inscribitur De fide resurrectionis: in quo libro non solum testimoniis scripturæ convincitur, sed etiam aliis argumentis persuadet resurrectionem.

Tuttt

Se-

Secunda hæresis est quæ docet corpus nostrum in illa resurrectionis gloria futurum impalpabile & invisibile. Hæresis hæresis auctor fuit quidam Eutyechius Constantinopolitanus Episcopus, dicens corpus post resurrectionis gloriam futurum aere & vento subtilius, ita ut nec palpari, nec videri possit. Hujus autem hæresis causa beatus Gregorius, postea summus Pontifex fuit à Sede Apostolica missus legatus Constantinopolim: quo perveniens coram Tyberio Constantino tunc Imperatore, eundem Eutyechium in fide nostræ resurrectionis errasse convicit. Quo facto, ipse Imperator librum quem Eutyechius de resurrectione ædiderat, comburi jussit. Adversus hunc errorem est illud quod ait Job: (cap. 19.) *Scio enim quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum: quem visurus sum ego ipse, & osculi mei conspecturi sunt & non alius. Si corpus quod modo palpabile visibile est, postea neque palpabile erit, neque visibile, sed aere & omni vento subtilius: ergo alius erit homo qui postea resurget, & alius qui modo vivit. Et hoc innuere videtur glossa super illum locum Job, quæ sic ait. Expresse indicat veritatem resurrectionis. Non enim alius moritur, & alius resurgit (ut qui dicunt invisibile & impalpabile corpus futurum sicut Eutyechius dixit) sed idem ipse. Hæc glossa, quæ dicitur ordinaria. Unde patet quam misere fuerit deceptus Præter Bernardus de Lutemburgo, qui in suo Catalogo hæreticorum duos scribit fuisse hæreticos, unum Eutyechium, & alium Eutyechium per e aspiratum. Et ut cognoscas eum sentire non fuisse eundem, adverte quod postquam Eutyechium in prima æditione catalogi texerat, in posteriore æditione addens in fine ejusdem catalogi alios hæreticos qui sibi videbantur deesse in prima æditione, posuit Eutyechium per e aspiratum, tamquam hic alius esset ab illo quem prius scripserat. Et cum duos esse crederet, duas etiam nobis vult ostendere illorum hæreses. Eutyechium quidem dicit sensitse alium hominem mori, & alium resurgere. De Eutyechio vero refert illum docuisse corpora nostra resurgere impalpabilia & invisibilia. Quod si recte, rem, prout decebat, infexistet, agnovisset eundem esse hominem qui illa docuit, quamquam in diversis cordibus diversis literis scriptum reperiamus, in aliquibus per simplex, in aliis vero per e aspiratum.*

Quæ diversitas ex vitio scriptorum oriri potuit, qui sæpe aliter quam oportet, transcribunt, & orthographiam suo arbitrio pervertunt.

Cæterum quod hæresis sit eadem, ex verbis glossæ ordinariæ quæ proxime citavimus, apertissime convincitur. Nam eadem glossa innuit Eutyechium sensitse alium hominem mori, & alium resurgere, & mori corpus palpabile & visibile, & resurgere impalpabile & invisibile. Quod si glossa non satis aperte illud ostendit, saltem ex beato Gregorio poterat illud cognoscere, qui in libro moralium exponens illa verba Job quæ proxime citavimus, narrat acta sua cum eodem Eutyechio Episcopo Constantinopolitano, & refert illum sensitse quod alius sit homo qui moritur, & alius qui resurgit: propterea quod credit corpus hominis mortui esse palpabile & visibile, & corpus illius qui resurgit, esse impalpabile & invisibile, quia dicebat istud esse futurum aereum, & omni vento subtilius. Et ita adversus errorem hujus Eutyechii Constantinopolitani Episcopi beatus Gregorius profert illum locum Job quem proxime citavimus. Hæc dixi ut videant omnes quam facile errent, si qui facile pronuntiant, antequam res

fuerit probe (ut decet) examinata. Sed his omisissis nostrum scopum redeamus. Eundem hominem resurgere qui & moritur, convincunt illa Christi verba (Joann. 11.) quæ dixit Marthæ de Lazaro ejus fratre tunc mortuo: *Resurget frater tuus. Si enim corpus resurgentis esset aereum & impalpabile, tunc Lazarus qui resurrexit, non fuisset frater Marthæ, postquam tunc non habuisset illud corpus per quod erat inter illos junctæ cognatæ. Præterea, Redemptor noster dubitantibus de sua resurrectione discipulis ostendens manus & latus, palpanda ossa carnemque præbuit dicens: (Luc. 24.) *Palpate & videte, quia spiritus carnis & ossa non habet sicut me videtis habere. Qui de hac hæresi amplius nosse cupit, legat B. Gregorium in moralibus super decimumnonum caput Job, circa finem.**

Tertia hæresis asserit corpora post resurrectionem futura iterum mortalia, & post illam resurrectionem multis sæculis transactis dicit corpora in nihilum redigenda. Hujus hæresis auctor fuit Origenes. Hoc enim illi impingit Theophilus Alexandrinus Episcopus in lib. secundo sui Paschalis, quod opus beatus Hieronymus è Græco vertit in Latinum sermonem. Et si verum est Originem hoc sensitse, oportet ut falsum sit quod Epiphanius de illo refert, illum videlicet negasse resurrectionem. Nam qui dicit corpora post resurrectionem futura mortalia, fatetur aperte resurrectionem fatetur. Verum quia post istam resurrectionem Origenes, teste Theophilo, docet corpora in nihilum redigenda, nec amplius resurrectura, fieri potest ut Epiphanius de hac secunda morte intellexit, cum dixit Originem docuisse post mortem non esse resurrectionem. An autem Origenes ita sensitse, an secus, ignoro. Hoc certo scio, quod Theophilus ita illum sensitse narrat. Quapropter cum jam sit de hac re Origenes notatus, oportet ut ad illius errorem revincendum aliqua proferamus scripturæ sacræ testimonia. Paulus Apostolus in ea quæ est ad Romanos epistola cap. 6. ait: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Si Christus post resurrectionem amplius non moritur, nec nostra corpora post resurrectionem erunt mortalia: quoniam resurrectio Christi exemplar fuit aut signum quoddam futuræ in nobis resurrectionis.* Et in priore epistola ad Corinthios expressius de hac re docet, ubi postquam proposuerat similitudinem de grano seminis mortificati, quod tandem vivificatur, ad corporis nostri resurrectionem reversus, ita dicit: (1. Cor. 15.) *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Et parum infra: Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in istu oculi, in novissima tuba. Carnet enim tuba & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc inducere incorruptionem, & mortale hoc inducere immortalitatem. Non poterat quicquam apertius dici ad hunc errorem rejiciendum. Sed*

audi quid adhuc Apostolus subjungat: Cum autem (inquirit) corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. At non perfecte esset devicta mors, si resurgentibus corporibus, iterum mors sæva dominaretur. Neque Christus perfecte devicisset eum qui mortis habebat imperium, hoc est diabolum, si mors iterum nostra corpora possessura esset. Præterea beatus Joannes in Apocalypsi de justis post resurrectionem loquens, ait: *Et absorget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque*

luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Cum hæc testimonia apertissima sint, non est opus in hac parte longiore disputatione.

Quarta hæresis docet Christum surrexisse à mortuis die sabbati post Parasceven hora sexta. Hunc errorem tribuit Guido Armenis: quem semper in recensendis erroribus Armenorum sequutus sum: quia (ut ingenue fatear) neminem alium scriptorem reperire potui quem in hac re consulerem.

Et quantum ad hunc errorem spectat, certe miror quod homo qui Evangelia legerit, in tam apertum errorem potuerit labi. Nam cum sit manifestum Christum fuisse mortuum feria sexta in Parasceve, si sabbato proximo resurrexit, quomodo verum erit illum resurrexisse die tertia? At ipse Salvator prænuuntians discipulis suis ea quæ futura erant circa ipsamet, ait illis: (Luc. 18.) *Ecce ascendimus Hierosolimam & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellaverint, occident eum: & die tertia resurget. Præterea ipse idem Salvator noster Judæis petentibus signum de celo ab eo ait: (Matth. 12.) *Generatio mala & adultera signum querit, & signum non dabitur ei nisi Jonæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre certi tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, sic Christus moritur feria sexta & post mortem manet in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, fieri non potest ut proximo die sabbati resurrexerit. Sed de hoc satis.**

Quinta de hac re hæresis est, quæ docet omnes homines in sexu virili resurrecturos, nullumque esse post resurrectionem futurum femineum sexum. Hunc errorem Guido tribuit Armenis, & vigesimo loco inter errores Armenorum illum recenset. Beatus Augustinus libro 22. De Civitate Dei cap. 17. hujus erroris meminit, dicens: *fuisset aliquos qui ita sentirent: non judicat tamen qui fuerint hujus hæresis patroni. Feminas post resurrectionem esse futuras, vel ex eo constare potest, quod Dominus feminam fecit sicut virum. Sic enim scriptura ait: (Gen. 1.) *Masculum & feminam fecit eos. Ex quibus verbis constat sexum femineum non esse vitium, aut ex vitio, sed ex natura. Quoniam enim ante peccatum femina erat, non ex vitio contigit, ut femina fieret. Nec sexus ipse vitium est: quoniam non fuisset à Deo factus. Cum ergo non sit vitium neque ex vitio femineus sexus, sed ab ipsis natura incunabulis à Deo factus, consequens est, ut qui utrumque sexum fecit, utrumque etiam restituat. Præterea Paulus scribens ad Galatas cap. 3. ait: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Si femina est in Christo Jesu sicut masculus, cur non erit in gloria sicut masculus? Accedit ad hæc, quod interrogatus Dominus à Saducæis negantibus resurrectionem, de muliere quæ septem fratrum nuperat, ut quisque illorum defuncti fratris semen suscitaret, cujus illorum futura esset post resurrectionem, respondit: *Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt omnes sicut Angeli Dei. At si nulla esset post resurrectionem futura mulier, facilius illorum errorem destruxisset, dicens non esse futurum muliebrem sexum post resurrectionem. Et cum locus esset apertissimus, debuisset illos de hac re docere: ut diceret illam mulierem de qua erat quæstio, vi-****

rum illam esse futuram, non feminam. Verum non illud dixit, sed hoc: *In resurrectione non nubent, neque nubentur.* Nuptias ergo post resurrectionem futuras negavit: non sexus varietatem. Immo an varietatem illic futuram innuit, cum dixit: *Non nubent:* quod convenit feminis: *neque nubentur,* quod viris. Brunt ergo feminae quæ hic nubere solent: & viri qui hic uxores duxerunt, quoniam cum nuptias negavit, sexus varietatem latenter innuit, qui ad nuptias exigitur. Brunt quidem membra illa, sed non ad antiquum usum deputata, sed ad decorem novum, & ad Dei sapientiam & bonitatem commendandam. Sed qui hunc errorem tuentur, obijciunt nobis illud Pauli ex epistola ad Ephesios cap. 4. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ex quo loco arguunt omnes in virili sexu resurrecturos: quoniam Apostolus ait, omnes nos occurrat in virum perfectum. Huic objectioni beatus Augustinus respondet, illo loco virum capi pro homine, sive masculus ille sit, sive femina. Sic enim alibi scriptura sapissime capere consuevit. Nam illud est manifestum (ut alia interim omitram) quod in Psalmo 31. dicitur: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Quo loco constat nomine viri feminam intelligi: quoniam beata etiam femina, cui non imputavit Dominus peccatum. Et beatus Gregorius in Homilia illius evangelii: *Sint lumbi vestri præcincti*, hoc idem admonet, sic inquit: *Quia viris luxuria in lumbis sit, feminis in umbilico, restatur Dominus qui de diabolo*

ad beatum Job loquitur, dicens cap. 40. *Virtus ejus in lumbis ejus, & fortitudo illius in umbilico ventri ejus.* A principali igitur sexu lumborum nomine luxuria designatur cum Dominus dicit: *Sint lumbi vestri præcincti.* Hæc Gregorius. In quibus verbis manifeste satis admonet, nomine sexus masculini tanquam principalioris femineum sexum designari. Potest etiam aliter responderi, & forte propius ad litteræ significationem, ut dicamus illo loco Paulum nec meminisse resurrectionis, sed de perfectione doctrine, & agnitione veritatis. Nam postquam dixerat datos esse à Christo quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios Evangelistas, alios Doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, statim subdidit: *donec occurramus in unitatem fidei, & agnitionem filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Quæ verba petractans beatus Ambrosius in commentariis super epistolas Pauli, hæc ait: *„ Tandiu dicit manere ordinationem, in quam diu „ cuncti destinati ad vitam, unius sint fidei. In cognitione „ nem Christi ita elaborandum hortatur, ut perfectio fidei „ apprehendatur. Cujus hæc ratio est, ut Christum per „ sectum & plenum Deum teneat fixus, ne mensura hu „ mana metiatur, sed in plenitudine divinitatis quasi „ perfectus Deus habeatur. Nec enim perfectum dicens „ virum, temporali ætate & mensura significat, sed per „ hoc dictum perfectos nos vult fieri in plenitudine intel „ lectus divinitatis filii Dei. „ Hæc tenus Ambrosius. Et ad eundem modum interpretatur Theophylactus illum Pauli locum. Demum opus est ut Ecclesiæ distinctionem de hac re audiamus. Nam inter Ecclesiastica dogmata unum de hac re septuagesimo loco habetur, quod tale est. In resurrectione ex mortuis, sexus forma non mutabitur, sed vir mortuus resurget in forma viri, & femina in forma femine. Hæc ibi, & de hoc satis. Adversus hanc hæresim neminem scripsisse scio præter beatum Augustinum, qui libro vigesimo secundo de Civitate Dei, cap. 17. paucula quædam disserit.*